

**Disputatio de phthisi. Quam praeside deo, censu & consensu ... Pro summis in arte medica honoribus, & privilegiis doctoralibus legitimè consequendis, / publico placidoque Philiatrorum examini subijcit Bartholdus Scheffer, Mengringhusio-Waldeccus.**

### **Contributors**

Scheffer, Barthold.  
Welper, Eberhard, active 1609-1668

### **Publication/Creation**

Argentorati : Typis Eberhardi Welperi, M. DC. XLVII. [1647]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/xckkswg5>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO  
DE  
PHTHISI.

*Quam*  
PRAESIDE DEO,  
CENSU  
&  
CONSENSU

AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI  
ET GRATIOSISSIMI COLLEGII  
MEDICI.


IN CELEBERRIMA ARGENTORATENSIVM VNIVERSITATE.

Pro summis in Arte Medica Honoribus, & Privilegiis Doctoralibus legitime consequendis,

*Publico placidoque PHILIATORVM  
Examini subycit*

BARTHOLDUS Scheffer / MENGRINGHUSIO-WALDECCUS.

*Ad d. 4<sup>Febr.</sup> Januarij horis locoque solitis.*



ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. XLVII.



ILLUSTRISS.<sup>mis</sup> ET GENEROSISS.<sup>mis</sup>  
DOMINIS

DN. GEORGIO FRIDERICO,  
DN. WOLRADO,

Fratribus Germanis.

COMITIBUS in Waldeck / Piermondt / &  
Gülenburg re. DOMINIS in Tonna,  
Palant / Witten / Werth / re.

*Dominis suis Clementissimis, Mæcena-  
tibus benignissimis.*

VIRO ITEM

GENERIS NOBILITATE, RERVM QVE CIVI-  
lium administrandarum Prudentiâ præ eminenti,

DN. RUDOLPHO Würtz / Reipubl. Argent.  
XV. viro bene merito. Domino Patrono  
& Hospiti suo æternim colendo.

*Hanc Disputationem Inauguralem  
submissè & debitâ honoris obser-  
vantia officiosè consecrare & di-  
care voluit & debuit.*

Bartholdus Scheffer.

# P R A E F A T I O.



*U*nemadmodum beneficus ille Apollo,  
 almis suis radijs, rebus indifferenter omnibus  
 vitam largitur, illisque gratiam conciliat; Ita  
 ILLUSTRISS.<sup>mi</sup> & GENEROSISS.<sup>mi</sup> COMITES,  
 Comites in Waldeck / Piermont & Cülens-  
 burg &c. Domini mei Clementissimi, in toto Comitatu VValdec-  
 censi, extremâ annona caritate, magnis sumtibus omnibus citra  
 delectum cujusvis nationis pauperibus, maximè autem subditis &  
 studiosis, tantû cibi singulis diebus distribui curaverunt hætenus,  
 & etiam nû curant, ut ad vitam honestè sustentandam satis superq;  
 esse possit, atque sic subministratis largâ manu, non victûs tantum,  
 sed etiam amictûs subsidijs (cujus rei si opus foret testes produ-  
 cere possem) quam plurimos, qui fame & frigore erant certè pe-  
 rituri, è faucibus Orci quasi ereptos, in hodiernum usq; diem con-  
 servant. Quod Liberalitatis Generosa factum, non solum VVal-  
 deccia, sed etiam alia Christiani orbis finitima partes magnoperè  
 prædicant, nemoq; ita demens, rerumvé tam iniquus estimator e-  
 rit, qui hocce neget. Sed de illis, quum nullo quovis ingenti vo-  
 lumine, nedum brevi hoc epistolio pro merito suo, & dignitate  
 comprehendî & decantari possint, impræsentiarum loqui superse-  
 deo; ferventem solum, peneq; incredibilem Vestrum in honore di-  
 vino, orthodoxâque religione promovenda ZELUM, & incom-  
 parabilem liberalitatem atq; munificentiam leviter attingam.  
 Neq; satis fecisse ZELO vestro C.C.V.V. putabant, nisi Studiosos in-  
 super annuis stipendijs alerent, in bonis disciplinis erudiri cura-  
 rent, ut post decursa studiorum stadia, è Collegijs, tanquam è virtu-  
 tis & doctrina seminarijs educti, vita modestiâ, & sanctitate alijs  
 prælucèrent, Rempublicam Christianâ in omnes ampliarent partes,  
 eamq; curarent, & unam cum primis veram Apostolicam Reli-  
 gionem & orthodoxam fidem propagarent, Hæc certè omnia, ut  
 reliqua taceam, magna, imò maxima sunt, & Christianis, diviniq;  
 honoris amantiſſimis Comitibus dignissima. Quis enim Sum-

ptus à C.C.V.V. in illum factos enumeret? Quis tantam, & tam magnam benignitatem, liberalitatem & munificentiam, tantam dexteritatem & Sapientiam Patriæ prospiciendo condignis laudibus extollat?

Neminem sanè tam eloquentem, tam facundum reperiri arbitror, qui pro eorum dignitate ista recensere valeat. Nam cum C.C.V.V. benignos suæ Munificentiae radios in me, licet nil tale de ipsis meritum, nunc nuper converterent, ita me inflammatum atq; excitatum sensi, ut diu ante servatum à me silentium illicò rupe- rim, & theses hasce ediderim. Pagellæ sunt pauca: doleo quod non pauciores! quem enim Atlanticorum istorum voluminum non pigeret? aut quis res prolixitate aestimaret, nisi cui nebulosa opi- nionis Mater auriculas imposuit? Ingenium hîc nullum, neq; penicillo; sed fortuito carbone quantillulum festinanter est deli- neatum.

Vobis verò Illustriss.<sup>mi</sup> & Generosiss.<sup>mi</sup> Comites, hoc stu- dium meque totum debeo. Vestrûm enim Licentiâ (Dei cum- primis nutu) animum ad Medicinam appuli, Vobis nutritus, Vobis adolevi. Vestrûm igitur post DEUM est quod sum: Vestrâm quoque erit quod futurus sum. Vestris ergò pedibus debito respectu hunc factum nèque satis maturum, sed crûdum, qui me ferè nesciente prodijt in lucem, impolitum, subitarium nullisq; cunis fœtum, sed è suggestu verè precipitatum; neq; etiam E.C.V.V. gratum, humiliter submitto, submissè rogans, ut hunc equo animo & incomparabili erga ingenia favore accipiant, meq; subjectissi- mum alumnus semper Clementiâ suâ foveant. Vivant, valeant Illustriss. Dn. Comites, Deus T. Opt. Max. C. C. V. V. cum Matre Celsiss. & multarum magnarumq; rerum gestarum gloriâ insigni, diu nobis & Reipublica conservet incolumes.

C. C. V. V.

submissâ observantiâ

addictus & astrictus

Bartholdus Scheffer.

## PRAELOQUIUM.



**C**ALLENUS *Sacra nostra* MEDICINAE Antistes 2. M. M. 2. consulit, materiam aliquam pertracturis, ut praeteris desiniant, quid sit de quo verba instituenda. Hujus filum Nos quoque hic sequemur, & de Phthisi disserturi, primum ὀνομασολογίαν proponemus; deinde πραγμασολογίαν subjungemus.

### THESIS I.

**P**HTHISIS sumitur vel GENERALITER, pro quavis corporis emaciatione, seu extenuatione à quacunque causa orta, estque vel *Universalis*, totius corporis, ex Cachexia & febre hectica genita, cum vel Chylus in ventriculo, vel Chymus in hepate corrumpitur, corruptusque in totum corpus digeritur. Talis est ἀτροφία, h. e. nutritionis frustratio, cum alimentum paucum in sanguinem nutrientem converti nequit, illamque sequitur marcor, h. e. corporis viventis, praesiccitate, & alimenti defectu, contabescencia, & consumptio. Haec vel est s. n. in Senectute, estque marcor inevitabilis, quem nemo secundum naturae cursum effugere potest: Vel p. n. cum sc. aliqua pars contabescit, reliquis nihil tale patientibus. Ita secundum Hippocratem de Intern. aff. est φθίσις renalis à labore, quae renum sequitur suppurationem, & saepissimè novos maritos infestat. Sic apud Hipp. l. 2. de morb. est φθίσις dorsalis, quae etiam νεογάμοις καὶ φιλολάγνοις accidit, non tam ob seminis, à dorsali medulla defluentis, copiam, quam genitalis humoris profusionem immodicam. Particularis est in Tabe oculorum, Gal. in fin. Med. & Comm. 16. s. 3. aph. Ubi pupilla cum obscuritate diminuitur. Talis quoque est ἀτροφία, quae interdum cruribus, & brachijs accidit. Hipp. 6. aph. ult. cujus exemplum dignum habet Forest. l. 10. observ. 97. Talis quoque est in cujuslibet membri ἀτροφία. Gal. l. de Morb. diff. c. 9. De his agere instituti nostri non est. SPECIALITER & propriè sumitur pro tali extenuatione, quae ex pulmonum vitio scaturit, fomentumque habet, atque exulcerationem insequitur. De qua Hipp. 7. aph. 16. & 78. Cujus naturam & curam indagare impraesentiarum est animus.

**II.** Est itaque Phthisis, propriè ita dicta, *pulmonum exulceratio, à materia acris & erodente, cum febre continua hectica, tussi, respirationis difficultate, sputoque cruento & purulento, quâ sensim totius corporis caro consumitur, & ad extremam macilentiam, ariditatemq; redigitur.* Gal. 3. aph. 10. 4. aph. 8. & 7. aph. 16.

Dicitur autem vel à πὸ τῆ φθίω, h. e. corrumpo, consumo, labefacto, extenuo, perdo, interimo. vel à φθίω, corrumpor, consumo, pereor, deficio, tabesco. vel à πύω h. e. sputo. Secundum A T H E N I E N S E S vocatur φθίσις. Secundum Galen. φθισήσις. Lat. TABES. German. die Schwindtsucht / Lungensucht. Secundum Paracels. *aridura*, morbus siccus seu solaris exiccatio, omniumque partium totius corporis sine paroxysmo & dolore, cum febre lenta consumptio. Secundum H E R M E T I C O S *morbus salinus*, quia acris & erodens materia salis instar pulmones erodit.

**III.** G E N U S proximum ponimus U L C U S, quod juxta Senn. l. 2 p. 1. c. 10. *Instir. Med. est continui solutio, in parte carnosâ, ab erosionem ortum habens, & proximè sine alterius interventu ladens.* Adest quoque *Morbus Organicus in diminuta magnitudine.* Et *Intemperies* in pulmonibus primùm, deinde in omnibus partibus totius corporis introducta, quæ à putredine illos continuò calefaciendo oritur.

**IV.** D I F F E R E N T I A *specificâ*, est totalis pulmonum exulceratio. In *Atrophia* est saltem nutritionis frustratio. In *Cachexia* alimenti corruptio. In *Phthisi oculi*, pupillæ obscuratio. In *Phthisi* autem pulmonum, exulceratio & consumptio eorum, ita ut quotidie vel cruenta, vel purulenta sputa expectorentur & eiciantur.

**V.** L O C U S *affectus est Pulmo cum partibus suis sc. carnosâ substantiâ, bronchijs, vasis & membranjs.* In consensum quoque trahuntur partes interiores thoracis, faucium & aspera arteria; verùm non immediatè neque confertim, sed sensim, & pedetentim, si sc. augentur. Cor item, vitæ & nutritionis principium necessariò afficitur: Nam si in omnibus corporis partibus deprehendatur, cur non ipsum animantis principium affectum sit, inquit Gal. l. de Marasm. c. 1.

**VI.** C A U S A P R O X I M A, *continens & immediata est acris, mordax, & erodens in pulmonibus humor, vel suâ naturâ talis, sc. biliosus & serosus, vel ratione acquisitæ putredinis talis, sanguineus sc. vel pituitosus putrescens, qui substantiam corrodit, ulcusq; efficit, sive in ipsa substantia pulmonum colligatur, sive à capite destillet, sive aliunde ex alijs partibus quàm à capite ad pulmones deferatur.*

**VII.** *Causa putredinis, est vel portio sanguinis, in vasis, visceribus.*

ribusque effervescentis, & naturæ molesti, præ vasorum copia, & amplitudine in pulmonum substantiam, aliasque partes effusa. Sanguis autem in substantiam, non in asperæ arteriæ ramos, neque copiosius effluit, quantulacunque tamen fuerit copia, natura eam tempestivè non potest per vias convenientes expellere, ob influxum autem; verùm præ longiori mora ibidem putrescens ipsum quoque viscus inficit, & allapsum nutrimentum in sputa abit fætida & purulenta.

VIII. Inter **MEDIATAS** seu *Antecedentes causas sunt humores vitiosi in corpore collecti*, qui, ubi postea vel à capite, vel aliunde ad pulmones confluunt, vasa in ijs aperire, pulmonesque exulcerare valent. Quò pertinet plethora, ex liberaliore victu, vel consuetæ alijus solennisque evacuationis sanguinæ v. g. *hemorrhoidum, mensium, naviumve profluvij suppressione* genita, quæ vasa pulmonum distendit, tandemque rumpit, vel saltem aperit. Denique pus exedens, quale post Pleuritidem, Anginam & Peripneumoniam non rarò in thorace colligitur.

IX. *Causa quoque Tabis est, vasis in pulmonibus apertio*, sive fiat per ἀσθμίασι, sive per διαπύδησι, sive per διαίρησι, quando vasa sanguinem continentia exulceratione, erosione, ruptione, vel alias ob causas, divisionem & continui solutionem patiuntur. Gal. l. 3. de sympt. c. 1. Huc quoque refertur *Ruptio*, adeoque omnes causæ, quæ vasa pulmonum rumpere & aperire possunt. Unde Hipp. l. de aère aq. & Loc. Tabem etiam à partu frequenter contingere scribit: violentiâ enim rupturis & vulneribusprehenduntur. Plater. tr. 3. prax. l. 2. s. cap. 8. inquit: disruptionem vasorum in pulmonibus ob summum sæpe conatum, qui in lapidibus loco movendis adhibetur, accidere: Deinde, si quis vocem valde intendat, & postea malè habeat, vas in pulmone ruptum esse significari. Sic ruptio Apostematis, abscessuum in Pleuritide, in Peripneumonia, & sanguinolenta rejectione: Quæ si non curentur citò ac ritè, ut plurimum in Tabem transmittuntur. Hinc Hipp. s. aph. 8. 10. & 15. inquit: *Qui ex pleuritide empyi fiunt, si à ruptione non liberantur, intra 40. dies ad Tabem transeunt.*

X. *Contrahitur Tabes à proprio pulmonum nutrimento*, si sc. sanguis per venam arteriosam influens in pulmones sit nimis acris, mordax & biliosus, vel talis inibi ob pulmonum intemperiam, & cordis viciniam factus. In pulmonibus est sæpe vitiosa dispositio, mollis & tenella constitutio, à parentibus hæreditariè in utero, ab ipso



ipso ortu vel ex principijs generationis, vel ex alijs accidentibus contracta. Hinc ij ex stirpe tabida sati, omnes jure quasi hæreditario contabescunt, atque sic phthificus phthificum, Epilepticus Epilepticum, Leprosus leprosum, calculosus calculosum, Nephriticus, Nephriticum generat, ut inquit, *Clariss. Dn. Senn. Instit. l. 4. p. 2. cap. 2. Excellentiss. item Dn. Sebiz. in tract. de Variol. & Morbill. disp. 4. th. 4. Et Fern. l. 1. parthol. c. 2.* Sic quemadmodum *Celeberr. Italarum Aesculapius Mercurialis l. 1. de morb. puer. c. 2.* inquit, variolatus variolatum (ut barbarè loquar) generat, sed minus rectè. Huc spectat quoque naturalis pectoris angustia & depressio, qualis illorum, quos Hipp. *φθισώδεις & πλεφυρώδεις* appellat 3. *Epid. Com. 3. text. 70.* qui enim, ut *Galen. in Com. 1. & 1. Epid. Com. 1. t. 18. & 2. de Temp. c. 6. & aph. f. 4.* inquit, *pectus angustum habent & collum gracile, ob longum & strictum, horum natura ad Phthisin vergit. Quibus etiam caput est infirmum, & humidum, quodq; facile impletur, Tabi maximè sunt obnoxij.*

XI. *Transmittitur, & aliunde affluit, per modum fluxionis, cum sc. materia ex vicinis partibus inflammatis, pleurà, mediastino, diaphragmate, asperà arterià, eò defertur, vel à capite, dum humores acres & nitrosi, ex bile & pituita ad pulmones delapsi, neque per tussim expulsi, spongiosam & mollem pulmonum substantiam facile erodunt. & Tabem producant.* Sic humor sursùm repens, & ad cerebrum elatus, p. n. retentus, & condensatus, ob cerebri imbecillitatem relabatur, & ob calidam Ventriculi, Hepatis, Cordis, & totius Corporis intemperiem, tussim primùm, & raucedinem concitat, deinde ipsam phthisin progenerat.

XII. *Externa causa sunt variæ: Contagium.* Hinc ab *Arist. 7. probl. 4. & à Gal. 1. de diff. febr. c. 2.* Phthisis rectè inter morbos contagiosos refertur, nec tuta satis est, & habetur cum phthificis conversatio. Deinde *aëris caliditas nimia* nimium exiccans, humoresque in capite detentos liquefaciens, & ad inferiora detrudens, meatusque occlusos recludens. Vel *nimia aëris frigiditas* constringens, & constipans, venasque pulmonum ad rupturam disponens, sicuti accidere solet Viatoribus, & alijs in locis montosis habitantibus. *Aër* item hominum, animaliumque cæde, & strage, stagnantibus putridissimisque aquis, vel etiam malignæ terræ halitu, ventis noxijs, denique influxu syderum & sorde Mechanicorum Corruptus & infectus, uno verbo, *malignus, intemperatus vel substantià corruptus ut pestilens, Mercurialis, metallicus, cavernosus & subterraneus,* vel qualitate inquinatus, & putrido spiritu contaminatus, qui materiam defluxionibus

nibus capitis suggerit, & inter alias partes pulmones maximè lædit. Vapores quoque tetri, putridi, maligni, & pestilentes quoquo modo corpus infestantes. Fumi metallorum & mora in specubus subterraneis. Hipp. l. de aër. loc. & aq. Constitutio item autumnalis, quæ suâ qualitate frigoris & caloris falsas destillationes movet, & ad Phthisin propensos insigniter offendit, atque sic in universum fiunt morbi acutissimi, & perniciosissimi. Hipp. 3. aph. 9. Autumnus Tabidis malus est, Idem s. 3. aph. 10. Si itaque Aestas sicca est & aquilonia, autumnus vero pluviosus & australis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tussis, raucedines atque gravedines, nonnullus etiam Tabes, Hipp. s. 3. aph. 13. & 22. Autumnus assiduus imbribus fiunt febres longæ, Epilepsia, Apoplexia, Angina; sic, citatibus autem morbi tabifici, articularum dolores & intestinorum difficultates Hipp. 3. aph. 16. Ventus quoque borealis Phthisicis valde inimicus est. Regionum quoque Constitutio frigida & humida pectori noxia est.

XIII. Cibi & potus. Etsi ad corporis nutritionem & instaurationem sint comparati; tamen cum sunt vel nimis copiosi, vel vitiosi, vel error in assumendo committatur, plurimorum morborum autor esse possunt. Nam ubi copiosior p. n. cibus ingestus fuerit, is morbum creat 2. aph. 17. & neque satietas, neque fames, neque aliud quicquam bonum, quod supra naturam modum fuerit. 2. aph. 4. Noxium quoque est, cibum ingerere priore nondum concocto, nec ventriculo vacuo: noxia quoque est ciborum varietas. Et omnino credibile est, præcipuam causam, ob quam tam pauci justam ætatem attingunt, sed ante senectutem moriuntur, esse errorem in victu. Tales sunt cibi calidi, acres & salsi, crapula nimia & ingluvies, vinum forte meracius haustum, & similia, corpora extrinsecus consumendi vim habentia.

XIV. Secundum ætates etiam Phthisis maxime accidit, magis tamen Iunioribus, quàm alijs ætatibus, idque ob copiam, caliditatem & acrimoniam sanguinis, vasorum laxitatem & duritiem, motus vehementes, & neglectam diætam. Hipp. 3. aph. 29. inquit Adolescentibus & Iuvenibus sanguinis expuitiones, Tabes, febres acutæ, alijsque morbi accidunt. Hinc Tabes ijs maximè fit ætatibus, quæ à 18. sunt anno ad 35. & qui à 25. usque ad XXXV. ætatis annu inquit Hipp. 5. aph. 9. & 8. aph. 7. Rarissimè Senes corripuntur Phthisi, ob vitam temperatam, & continentem, Idem 2. aph. 39. si tamen infestantur, fit hoc ab acris distillationibus, & siccitatibus, quibus Senes potissimum vexantur. Non autem prorsus immunes sunt ab hoc malo Infantes, Pueri: quia non ita acris & mordaci sanguine, abundant, nec naturam ita robustam, licet plurimum caloris nativi obtineant, habent 1. aph. 14. Neque carnosissimi, neque

*mulieres, quibus menses suppressi (nisi menstrua defecerint) de quibus Hipp. l. de Morb. mul. inquit: Nonnullis mulieribus, cum Menses duorum mensium spatio in utero extiterunt, ubi intercepti fuerint, ad pulmones feruntur, eademq; omnia his contingunt, quae in Tabes dicta sunt. Hæ enim frequenter eâ corripuntur, ob humidissima corpora, fluxionibus obnoxia. Gal. l. 4. de loc. aff. c. 8.*

XV. *Causam quoque præbent Exercitia immoderata, post cibum statim inita, vel eorundem omnimoda intermissio, Somnus nimius, vigiliæ & lucubrationes nocturnæ, pleno sc. ventre, Venus immodica, Excrementorum retentio, purgationes nimix, & excessivæ animi affectiones, Tussis violenta, & diuturna, Vomitus laboriosus, Ictus, percussio, casus, fractura costarum, & alia, quæ pulmonem, ejusque partes corrodendi, exulcerandi, dilacerandi, rumpendi, & consumendi vim habent.*

XVI. *Hæc de Phthisis parte affecta, minera & foco dicta: sequuntur jam SYMPTOMATA morbum tanquam effectus suam causam.*

XVII. **SIGNA** itaque **PROPRIA ET PATHOGNOMONICA** sunt **FEBRIS LENTA, ET TOTIUS CONSUMPTIO.**

*Hæc fit, ob temperamenti insiti, in calidius & siccus fixam permutationem, atque ita singulis partibus eandem intemperiem sortientibus, sortitam retinentibus, corpus sensim (nutritione viciatâ) exiccatum marcescit.*

*Illâ; quia exulceratis pulmonibus, tetri fervidiq; vapores continuè in cor feruntur, spiritusq; vitales inquinant, & accendunt, hinc febris Lenta, ex qua fit, ut primùm torida substantia, deinde carnosâ & adiposâ, tandem fibrosâ & membranosa exiccetur, & consumatur, atque sic fit Hæctica continua.*

*Continua, ob perennem putridorum vaporum ad cor transmissionem, & deinde, ob fixum, habitualemq; accensum æstum.*

*Hæctica, uti ex urinis, pulsu, excandescencia sub noctem, & à cibo sumto, alijsq; signis colligi potest. Unde sensim suo calore continuè primùm absumitur in omnibus partibus similaribus humidum radicale, deinde partes carnosæ, omniumq; partium substantia, itaque extrema subsequitur corporis macilentia & siccitas, atque sic nulla est declinatio, nulla proinde curatio.*

XVIII. **SIGNA** Tabis minus propria: *Tussis. Quæ excitatur à materia acri & molesta, sputis sc. in pulmonibus succrescentibus,*

bns, & cor ad excretionem horis præsertim matutinis & vespertinis stimulantibus.

*Sub noctem ingravescit. 2. aph. 47.* Quo, dum pus fit, dolores exacerbari dicuntur magis, quàm confecto pure.

*Excandescit post cibum, quâvis horâ sumptum.* Hoc enim est pathognomonicum signum *Hæctica*, quia calori hæctico plus pabuli ex cibo & potu tum incipit suppeditari, & plures inde vapores attolluntur, duratque hæc caloris mutatio, donec alimentum distributum sit.

*Pulsus parvus, celer, frequens, durus.* Urina adiposa, *Respirationis difficultas*; quia instrumentum respirationis insigni aliquo morbo laborat. *Sanguis exiccatur, caro patitur cavitates & scissuras ingenubus periculosas*; ubi enim *scissura*, præsertim *genuum sunt*, ibi nulla prorsus cura, nullum consilium, nullum auxilium.

**XIX. DIAGNOSTICA.** *Facies Hippocratica*, in qua *oculi concavantur, nares exacuuntur, aures contrahuntur, earumque fibrae invertuntur, tempora collabuntur*, (propter humidam absorptionem) *gena livescunt, cutis circa frontem dura, intenta, arida, facies pallida, ventres digitorum lati fiunt, ungues exalbidi in digitis incurvantur* (propter carnis consumptionem) *totumque corpus languet*, (quia cor laborat, calor evolat, spiritus dissipantur, sanguis consumitur, substantia partium tabescit,) *squalidum & sceletico simile evadit.* Vincente jam malo *capilli defluunt*, (ob siccitatem, & alimenti penuriam) & *proximi morti alvi profluvio laborant* (ob virium imbecillitatem) *difficulter respirant* (quia pulmo sese non satis propter debilitatem expandere potest) *hypochondria sursum convelluntur, fitis inexplebilis* (propter partes totius corporis exiccatas) *cibi que fastidium invadunt, Cervix & crura tortuosa fiunt, Sudores per somnum copiosissimi erumpunt cum summa debilitate, ob retentricis imbecillitatem, tussi continuâ infestantur*, (ob materiam à capite defluentem copiosam, pulmonibus inhaerentem, & expultricem ad sui excretionem sollicitantem,) & per *tussim vel cruentum, vel purulentum, vel sordidum, vel fœdum pus*, sine dolore excernunt, quod in ignem projectum, tetrum odorem spirat, propter putridam materiam in pulmonibus contractam, quâ fœtidus de se spargit halitus, eorum etiam *sputamina* in aquam injecta, ob gravitatem in fundum labuntur. Malo magis aucto, nonnunquam per *tussim* excreant, cum intolerabili fœtore portiunculas carneas, vel cartilagineas asperæ arteriæ, propter pulmonis putrefactionem, ut inquit Gal. l. de diff. morb. c. 5. Tandem *facies pallet* (propter exhaustum calorem, sanguinem & spiritum) *extrema intumescunt, maximè pedes,*

& *genæ livescunt*, (propter caloris nativi extinctionem,) *pulsus parvus*, non nimum *celer, languidus*. *Vrina* initidè naturalis, post oleaginosa, calorque non levis ex rubedine in urina cernitur, & in absumptione carnis, furfuracea, in absumptione ossium, in fundo urinæ materia ovorum putaminibus confractis similis conspicitur. *Capilli defluunt*, ob siccitatem, & alimenti penuriam, *pediculis abundant*, propter humorum putredinem.

Postremò *Diarrhæa* supervenit, ex virium imbecillitate; & humiditate corporis absumptâ, *sputum* supprimitur, & placidè sineque perturbatione (*ut plurimum*) extinguuntur.

XX. PROGNOSIS. In genere Malum hoc quàm maximè periculosum, & vix curam admittit, præsertim inveterata pulmonum ulcera, ut vult Gal. 4. *de loc. aff. c. 8*. Etsi remedia admittat, non tamen perfecta cura est, sed potius palliativa.

*Primum* quidem *ob continuam tussim*, quæ, sicuti difficilis est, & necessaria ad sputorum excretionem; ita periculosa est, potestque viscus hoc ulterius lædere; Sanies autem illa, carni molli in hærens, citra Tussim excreari nequit.

*Deinde ob exulcerationem pulmonum*, quæ vel propter eorundem perpetuum motum, difficilimè, vel non curatur, vel quod nonnisi exigua medicamentorum portio ad pulmones penetret.

*Deniq; ob febrem & extenuationem*, quæ humectantia requirit: illa verò ulcus respuit: *Febris* enim humectationem: *Vlcus* autem exiccationem postulat. *Postremò*, quia pulmo valde humidus est, tum ratione propriæ substantiæ, tum ratione copiosi sanguinis, quem per venam arteriosam, & arteriam venosam à corde accipit. Subjectus quoque est cerebro, cujus recrementa defluentia frequentissimè admittere necesse habet, *Vlceris* verò curatio in siccitate consistit.

*Ultimò*, quia in omnibus penè remediorum generibus, difficultas sese offert. Nam *Frigida* pectori inimica sunt, neque altè penetrant. *Calida* febrem, quæ *phlogosis* perpetua comes, augent. *Sicca* Hecticam fovent. *Humida* nocent, & ulceris sanationi obsunt.

XXI. In specie autem vix quicquam boni hinc sperare licet, ob profundas mali radices, quas *extenuatio*, *calor Hecticus*, *sputorum carbonibus injectorum fætor intolerabilis*, *capillorum de capite defluxus*, *alvi profluvium*, & *sputorum suppressio &c.* arguunt, quæ omnia mortis sunt apparitores.

Qui igitur pectus angustum habent, & Collum gracile, oblongum,

gum, & strictum, caput infirmum & humidum, horum natura ad Phthisin disposita est.

Qui Tabe vexantur, si sputum carbonibus injectum quod extussiunt, malè olet, lethale est, 5. aph. 11. Quibus per Tabem capilli desluunt è capite, ij fluxione alvi superveniente, moriuntur 5. aph. 12. & 14. In Tabe retentio puris, mortem propinquam indicat. 7. aph. 16. Tabidi caveant vomitum. 4. aph. 8. Quibus pulmones sunt exulcerati, curationem rarissimè admittunt, & non nisi palliatam & inconstantem. Et Phthisis confirmata vix curatur, sed plerumq; ad mortem usque comitatur.

XXII. Jam superesset, ut aliquid de signis anamnesticis, præteritam constitutionem indicantibus, adderem: verùm quia dato effectu causam adfuisse, facilè cognoscimus. Et cum jam plùs æquo in altum mare vela expandimus, illa contrahendi tempus est, & receptui canendum.

XXIII. Cùm itaq;e prolxiùs φθίσεως naturam excussimus; iniqui essemus, si CURÆ ipsius non aliquas daremus partes. Verùm cùm corpus humanum alterationi maximè obnoxium, ob internos externosq;e hostes, vitæ insidias struentes, & ulcera pulmonum difficiliùs, quam aliarum partium thoracis, sanentur; Ideo δεσπερεια, quæ hominibus quasi divinitùs concessa, adhibenda sunt, ut Phthisis vel planè tollatur, & sanitas restituatur, vel saltem id agendum, ut vel vita aliquamdiu prorogetur, vel morbi vehementia mitigetur, & minuatur, quò ægro morbus minùs molestus sit. Quamquam Hipp. l. πρὸς τέχνην. dicat, Eius qui servari nequit, curam suscipiendam vel tentandam non esse. Et Gal. Com. 2. aph. 29. doceat, deploratos curandos non esse; sed relinquendos, & morbi finem prædicendum; quia, ut inquit Idem I I. M. M. 9. imprudentis est consilij apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuère saluti: tutius tamen esse videtur consilium DAMASCENI, ubi aph. 46. & 144. salutem agrotantibus perpetuò, etiamsi desperes, promittendam esse dicit; neq; vel deploratis animum despondendi occasionem præbendum. Temperaturam enim corporis, animi affectibus semper coherere. vel ut aph. 144. corpora hominum spiritus eorum sequi. Et cùm non semper constet, qui morbi incurabiles sint, multotiesq;e, ut inquit Avicenn. tr. 2. c. 10. aliquis salvatur, absque spe mirabiliter: satius esse inquit Cels. l. 2. anceps experiri auxilium, quàm omninò nullum, & spem dubiam, certæ desperationi præferre Idem l. 5, fieri enim quandoq;e in curatione monstra, & præter expectationem restitui eos, qui pro deploratis habitii fuerint. Ut igitur Inhumanitatis nota evitetur, MEDICUS ægro imploranti, quantum quidem per artem & natu-

ram potest, ea in re non deerit. Quod si æger morbi vehementiâ occubuerit, MEDICUS tamen suum officium, & quod artis est, fecit, non aliter ac bonus *Naucleus*, qui, quamvis diligentissimè navem gubernet, Tempestate abreptus victus portum attingere non valet.

XXIV. INDICATIONES CURATIVÆ à tribus potissimùm desumuntur 1. ab *Ulcere pulmonis*. 2. ab ipsa *Febre*. 3. ab *Extenuatione corporis*. *Ulcus* abstersionem, exiccationem, consolidationem & *Substantia pulmonum* restaurationem requirit. *Febris* refrigerationem & humectationem. *Extenuatio* refectionem.

Cum jam istæ Indicationes frontibus adversis sibi sint contrariæ; ita illis succurrendum, ut, dum uni incumbimus, aliarum quoque habeatur ratio.

XXV. CURATIO. Ad deterfionem, exiccationem & consolidationem conducunt Decocta, Syrupi, ex *symp. maj. farfar. plantag. veron. pulm. scabios. alth. ros. rubr. glycyrrh. &c.* item decocta *guajac. sars. parill. Chin.* Saniem ichoresque exiccantia, & ad ulceris sanationem plurimùm facientia; temperanda tamen pro febrili æstu: *Conservæ, loch. Tab. ex iisdem paratæ*, & alia saniem ichoresque exiccantia, atque ad ulceris sanationem plurimùm facientia.

XXVI. Sed cùm vitium hæreat in parte molli, vix abstersionem perfectam sperari hac in parte posse, vasis refertâ & defluxionibus obnoxia, ut citra abstergentium admistionem sola consolidantia locum habeant, neque etiam in principio ita præcisè abstergendum esse putamus, ut omnia agglutinantia deinde exulent. Practici docent, prævalentibus detergentibus, quamdiu id ulceris immundities exigit, & deinde consolidantibus, ubi *Ulcus* magnâ ex parte mundatum, utendum esse.

XXVII. Ad corporis *Substantiam instaurandam*, & ut simul *Febri Hectica* obviam eatur, exhibenda sunt ea, quæ bene nutriunt, facile digeruntur, & corporis squalorem, æstumque temperant; eligenda tamen semper ea, quæ *ulceri* curando simul conveniunt, vel saltem ei non sunt adversa.

PRIMAS obtinet L A C, *serosâ* parte abstergens, *caseosâ* consolidans, *butyrosâ* tussim leniens, humectans, exiccationem corrigens, & hisce scopis omnibus satisfaciens.

Propinandum autem primùm manè, *jejuno stomacho, tribus horis, aut quatuor ante cibum, recens mulsam, ab ℥iij ad ℥viij & ℥xij.* Deinde sub vesperam, pro euphoria, (quatenus sc. vires augeri cernimus, eatenus nos quoque cibis adiicimus) addendo parum sacchari, aut Mellis, ne

in ventriculo acescat, nec statim alium ingerendo. Si convenientes herbæ in lacte incoquantur, utilius erit.

**XXVIII.** *Asininum*, serosius sc. magis abstergit, *Caprinum* minus serosum est, adhuc minus *Vaccinum*. *Muliebre* præ cæteris, tanquam naturæ ejusdem, & corpori humano familiarissimum, ad corporis refectionem maximè conducit. Est enim præ cæteris minus subtile, frigidius, & humidius, citius concoquitur, velocius penetrat, & melius nutrit. Deinde *Asininum* ad Phthisin accommodatissimum, inquit Trallian. l. 12. c. 4. Est enim tenuissimum, minimè coagulatur, sed facilè digeritur, quod Avicenn. l. 4. tr. 2. c. 6. confirmat. Non est, inquit, *Lac post Muliebre, quod Hecticis aquè conveniat, quàm asininum. Hecticam, si curabilis sit, ad plenum curat.* *Caprinum* quoque Phthisicis utile est, neque injuriâ: siquidem inter cætera lactis genera moderatè se habet, non enim admodum pingue & crassum, sed medium esse censetur.

Tandem *Lac Vaccinum* aliorum animalium lacte crassius & pinguius judicatur, & ob id etiam magis alere putatur.

Ad hoc refertur *Ovinum*, quod ad *Vaccinum* quodammodo accedit.

**XXIX.** Præter LAC conducunt CIBI EUCHYMI, EUPEPTI, h. e. boni succi & alimenti, concoctu faciles, ut corpus emaciatum humectent, instaurent, & reficiant. Cibi moderati primùm abstergentes, refrigerantes, humectantes, deinde incrassantes, & glutinosi, sæpe & frequentes, sed pariori manu exhibendi. Liberaliori quidem eget æger alimento, sed cum coquendo non sit par, idèd deficiens quantitas, frequentiori oblatione compensanda erit, & quidem, formâ liquidiori, ex *Carnibus agnisis, hedin. gallinac. ovis. rec. pisc. saxat. hord. amygd. sem. 4. fr. maj.* Ex quibus conficiantur *juscula, decocta. jura.* quæ vocantur *Consummata, Embammata, gelatina.* &c. aliæque formulæ, apud Practicos obviæ.

**POTUS.** *Decoct. hord. cum sacch. seu. pass. glycyrrh. vinum tenue* debilibus: Fortioribus *Emuls. amygd. dulc. melon. cum decoct. hord. si sc.* ventriculus bene se habeat, dentur. **AER** non debet esse, ut in *Hectica simplici*, frigidus & humidus, sed temperatè calidus & siccus, si sc. sanandi ulceris spes superesset. Hac de causa Veteres *Tabidos* mittebant ad *Tabias*, monticulum inter *Surrentum* & *Neapolim*, calidum & siccum, ob vicinum *Vesuvium*, instar *ethna* flammam continuè evomentem. **SOMNUS & VIGILIÆ** non sint diuturnæ, neq; immoderata. Nam si modum excesserint, malū inquit Hipp. 2. aph. 3. *Somnus non sit diuturnus; ne copiosior corpus humectet, brevior nimium exiccet.*



*Non meridianus*: nam si intempestivè ineatur, nocet, & Hipp. 2. progn. 11. inquit, Interdiu vigilandum, noctu autem dormiendum. Et Avicenn. in die dormire malum esse profitetur: Sed *Moderatus*: somnus enim & Vigilia moderata sanitatem servant, immoderata vero eandem destruunt. Et à Lacte non statim dormiendum, ne corrumpatur; dormiat autem æger super latus infirmum, eo usq; , donec cibi concocti, spiritusque absumpti, restaurati sint. Corpus non exerceat MOTV aut frictione, ne crûdum lac, vel aliud antea sumptum, in corpus trahatur.

EXERCITIA sunt breviora, leviora: valde enim nocent statim post cibum, & concoctione nondum absolutâ.

QUIES autem potissimum prodest. Est enim lassitudinis refugium, viriumque lapsarum refectionum.

EXCRETA fiant quotidie justâ qualitatè & quantitate.

ALVI moderata laxitas ægro exoptanda; profluvium enim noxium est.

ANIMI AFFECTIONES sint tranquillæ & moderatæ: absint curæ, tristitia, timor.

XXX. CVRAE enim vehementer extenuant, & exiccant, somnum impediunt, vires destruunt, febres accendunt, calorem nativum resolvunt, & extinguunt. Gal. l. 1. c. 11. de Tuend. San.

TRISTITIA corpus macie paulatim extabefacit, ipsum quoq; Cor immodicè constringit, spiritum obtenebrat, ingenium hebetat, judicium obscurat, rationem impedit, & memoriam obtundit.

TIMOR spiritum & sanguinem in toto corpore absumit. Hinc partes algent, corpusq; pallescit, tremor incidit, vox interrumpitur, & vires deniq; omnes convelluntur.

PLVRA legantur apud Practicos. Nobis hinc jam, postquam Divinâ gratiâ navim in vadum, quod intendimus, perduximus, subsistendum erit. Sufficiant hac breviter pro instituti nostri ratione, & concessio ingenij genio, de Phthisi dixisse. DEVMOPT. MAX: in quo omnia, à quo omnia & ad quem omnia, de voto pectore rogamus, ut laboribus nostris posthac bene dicere velit, quò omnia cedant ad Divini Nominis sui gloriam & proximi salutem; Cui TRIVNO sit LAVS, HONOR & GLORIA.



## COROLLARIA.

- I. An Phthisis sit morbus contagiosus, hæreditarius, & lethalis? Aff.
- II. An Febris sit Intemperies an Calor? Vtr.
- III. An desperati & deplorati solis prognosticis relinquendi? D.
- IV. An Lac, Ova, Mel & Saccharum in genere phthisicis convenient? D.
- V. An Vngues, præsertim cum in Phthisicis crescant, reliquæ autem partes tabescant, propriè sint partes corporis viventes? Disqr.
- VI. Vtrum infans Matris an Nutricis lacte alendus? D.
- VII. An Eien possit extirpari & radicitus consumi? N.
- VIII. An formæ Elementorum in mistis maneat integræ; an refractæ? Vtr.
- IX. Virgines lacinon habent, neque Viri, neque etiam menstruo laborant.
- X. An si quis adscenderet ad solem, ita ut manibus quasi attingere posset solem, ipsius calorem sentiret? Disqr.